...pistola 224. IOHANNI COCCEJO IOHANNES LÆTUS.

Excellentissime Vir, amice atque Fau-
tor colendissime.

Salutem plurimam atque Officiorum promptitudinem.

Adeo Vir Summe Oceanus vastus, atque horrida locis disiungit nos Sarmatia, ut difficilius literas amicitiae amorisque tesseras dare queamus. animus mihi attamen testis, quam saepe memoria recolam, dulcem et eruditissimam conversationem tuam, qua utinam adhuc frui possim! Sed ita Deo placuit, ut vos in felici Belgio, Ecclesiae Dei curatores sitis, nos vero in Polonia, diu aurea sane pace florida, sed iam per rebellis Barbariei motus, haud parum commota. neque vero hic finis. terrent, minantur, classicum canunt, excita sedibus tota rusticana Russica colluvie, ac quasi parum saevierint in Sacrum Ordinem atque Equestrem in Russia praeterito anno, ad Vistulam, imo ultra Vistulam si lacessatur, arma circumferre comminatur Bogdanus Chmielnicius. Non dubitamus tamen quin exoraturi simus Moderatorem coeli ac terrae, quo quietem det regno, atque pristina restituat Halcyonia. inter alios eximios viros quos saeva concussit Bellona est Germanus meus. is fugiens truces Barbarorum manus, atque horrendum fumantia templa, ex Volinia, ubi Provincia ei cesserat, receperat se ad Vistulam, sed tutus iam a Cosacis, morte praeterito Martio praeventus est. reculas eius cum reviderem exequias paraturus Kockoviae, incidi in litteras ad eum datas Franequera ab alumno Ecclesiarum Polon. nomen hominis excidit, inquirit nomine Typographi, an Peregrinationem et Conversionem, Tractatus suos recudere permittat. esto. modo in uno prodeant volumine. addi tamen cuperem duos meos Tractatulos, Speculum et Apologiam pro Christo contra veteres et novos Pharisaeos. spondeo pretium hoc additamento eximie auctum iri. Simul, amice peto per nostram amicitiam Vir Magne, scribat ad Hegerum, vel Jansonium, (nam uterque cum Thorunii Colloquio interesse petiit) an idem animus sit recudendi Compendii Historici mei, quod valde desiderari video si perstant in eadem sententia, significet per D. amicorum optime, ac paululum moram trahat quo eximia quaedam interea collecta transmittere queam, inserenda Compendio suis locis. Est mihi paratum aliud scriptum, continens refutationem dogmatum Socinianorum, quae Jonas Slichtingius versuto stylo propugnaverat, ob quod scriptum Lege lata in Comitiis, in exilium actus, libellus vero Vulcano palam traditus. refutatio mea brevis est, decem philyrarum. si et huius scripti operam Typographus suscipere velit, innuat, prima occasione missurus sum.

His te bene valere cupio, Deus O. M.
R. D. Vestram diu sibi ac Ecclesiae militanti
servet!

Generosus ac Magnif. Patronus meus, Dnus
Andreas Rey, salutem plurimam Ex. Vrae
adscribit ac una eius coniunx, quae ei hoc
Maio filium alterum peperit Andream, cum
biennio ante fere edidisset Boguslaum.
ac ante hos filiolam Heduigin.
Ego Coniugi Tuae, ac Clar. Professoribus
salutem mitto.

Oksza quod oppidum in Palatinatu
Sendomir. est. 10 milliaribus a Cracovia.
XV. Maij. A. Dni
CIƆ IƆ CXLIX.

Ex. Vrae
addictiss.
Joh. Laetus.

pagina
ol. 711

Excellentissimo Viro, Dno Jo:
hanni Cocceijo, S. S. Theolo:
giæ, atque Linguæ Sanctæ
Doctori, et in celeberrima
Franequerana Academia
Professori dignissimo, et Fau:
tori suo colendissimo.

Franiker
to bevragen by myn
Heer Professor Cocceijus.

Accepi d. 21. Julij 1659